DE
PHILOSOPHIAE
IN
SACRO TRIBUNALI VSU
COMMENTATIO.

SCRIPSIT
EULOGIUS SCHNEIDER,
Sereniſſimi Ducis Wirtemberg. regnantis
Eccleſiaſtes aulicus.

STUTTGARDIAE,
TYPIS ACADEMIAE CAROLINAE
1786.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO

AC

PERILLUSTRI DOMINO

CAROLO

S. R. I. Libero Baroni de Ulm in Erbach,

ECCLESIAE CATHEDRALIS AUGUSTANAE
CANONICO CAPITULARI

EULOGIUS SCHNEIDER
S. P. D.

Patere, Vir amiciſſime, vt, quam olim Tuo judicio ſubjeci, Commentationem de Philoſophiæ in ſacro tribu-

Digitized by Google

nali vſu, nomini Tuo inſcribam. Sic enim habe, Te a me vehementer amari, magnoque me flagrare deſiderio, quoddam amicitiæ noſtræ monumentum exſtruendi. Habet mirificam voluptatem amicorum abſentium memoria, atque beneficiorum a bonis viris acceptorum recordatio. Quoties, Vir optime, ego mihi frontem, oculos, totumque vultum Tuum videre videor! Quoties in memoriam reuoco colloquia, quibus in horto monaſterii Auguſtani, cujus paulo antehac incola fueram, magnam diei occidentis partem ſæpe inſumſimus! Tu enim, etiamſi ſummo loco natus,

hominem

Digitized by Google

hominem tantum in amico ſpectabas, nec permittebas, ut, quod Tuum meumque ſtatum intercedebat interuallum, amicitiæ, quæ niſi cum æqualitate conſiſtere non poteſt, officeret. Mecum ſtudia, libros, cogitationesque Tuas communicabas: me laborum eruditorum, quibus diu noctuque incumbebas, arbitrum ſæpe conſtituebas. Quem ergo potius, quam Te ipſum hujus meæ opellæ arbitrum ego conſtituam?

Eam vt pro ſingulari Tua in me beneuolentia lubens accipias, etiam atque etiam obſecro. Ceterum perge ad

Digitized by Google

magna quæuis tendere, atque illuſtriſſimi Auunculi Tui, cujus immortalia in me beneficia, inuictamque in me protegendo conſtantiam gratiſſimo animi ſenſu recolo, veſtigiis inſiſtere. *Vale.* Dabam Stuttgardiæ ipſis Calendis Decembris anni MDCCLXXXVI.

DE

Digitized by Google

DE

PHILOSOPHIAE

IN

SACRO TRIBUNALI VSU

COMMENTATIO.

§. I.

Scopus opellae hujus.

Vana & inepta ſunt mortalium cum omnium, tum præſertim eruditorum molimina, ridiculi, aut potius deplorandi ſudores, qui generis humani felicitatem nulla re juuant. Tranſiere tandem, tranſiere, Deo opitulante, Principibusque adnitentibus, tenebricoſa illa, & iniqua tempora, quibus alia potius omnia, quam hominum emolumentum doctorum, qui habebantur, virorum conatus ſpectare videban-

Digitized by Google

tur. Quicumque hoc noſtro aeuo diſciplinam aliquam vel ſcriptis tractandam, vel coram tradendam ſumunt, in eo præprimis ſunt, vt, quorſum valeat, quemue vſum in vita humana habeat id, quod docent, legentibus audientibusue demonſtrent. Atque præclare id quidem; ſui enim ipſius amans eſt homo, nec, niſi propoſito bono, ad veritatem inquirendam, virtutemque colendam impellitur. Eorum igitur, qui artium, ſcientiarumue ſingularum vſum ac neceſſitatem demonſtrant, de republica literaria, adeoque de genere humano non minima ſunt merita.

Tale quid ego heic molior; ea præſertim ratione ductus, quod Philoſophiam a multis, qui ſacra apud nos adminiſtrant, animabusque moderandis præſunt, contemni, negligi, tamquam ſuperfluam, immo peſtiferam repudiari videam. Eſt quoddam hominum genus, quibus vel nomen Philoſophi nauſeam creat. Atque horum cauſſa ſi ſcriberem, operam ſane luderem; deſperati enim ſunt. Id potius quæro, in id tendo, ut iuuenes, præſertim religioſos

gioſos ac ſacerdotio deſtinatos ab eadem hæreſi arceam. Magna eſt præjudiciorum vis, & auctoritas: facile inducimur, vt id, quod a ſenibus, probatisue viris nauci fieri conſpicimus, ipſi quoque aſpernemur. Opinionum, uti morborum, in ſocietatibus perpetuis, contagio & diuturnior, & pernicioſior. — Vos itaque, juuenes Monachi, vos, Clerici tirones, peto: vobis, qui aliquando ſacro tribunali eccleſiaſtico præficiendi eſtis, quanta ſit Philoſophiae vtilitas, quanta neceſſitas, vt hoc munere recte fungi, fratrumque veſtrorum miſeriis mederi poſſitis, perſuadere conabor.

Equidem ad omnes Theologiæ tum theticæ, tum moralis, tum paſtoralis partes Philoſophia pertinet: at ſingulas proſequi, earumque cum hac prima omnium diſciplina nexum oſtendere amplioris eſt inſtituti, quam cui tempus, ingeniumque meum, nunc quidem, ſufficiat. Prætereaid velim perpendatis, non omnibus vobis parochias, aliaue munera publica ab Eccleſia collatum iri: magna pars Veſtrum nec e ſuggeſtu dicere jubebitur, nec in Paſto-

rum ſubſidium extra monaſterii muros emittetur. Alius vocem, alius valetudinem, alia cauſſatur alius. At quo minus veſtris in templis eos, qui pro Eccleſiæ noſtræ more ſacra ſe exomologeſi purgare cupiunt, excipiatis, quo minus hac ratione ſtatus ordinisque veſtri inimicis operam ſtudiumque veſtrum, hominum felicitatem promouendi, nec fruges ignaue conſumendi, probetis; nil obſtat. — Ferte igitur, vt, *quis ſit Philoſophiæ* — de ceteris namque huc pertinentibus non differo — *in ſacro tribunali vſus*, vos ego, frater veſter, & concivis, paucis erudiam.

§. II.

Officia Confeſſarii.

Nemo, puto, id a me hoc loco exſpectabit, ut Eccleſiæ noſtræ doctrinam, præceptaque ad ſacram exomologeſin ſpectantia vindicem. Pœnitendi ritus, qualis in ea obſeruatur, diuinæ, an humanæ inſtitutionis ſit, disputare, Theologorum eſt. At commentatio noſtra intra Philoſophiæ limites continetur. In

eo

eo ſane aduerſantem habeo neminem, unde-cumque Confeſſio noſtra originem trahat ſuam, permultum intereſſe, ut ea quam fieri poteſt optime adminiſtretur. Quid, quod fidenter pronuntiem, Confeſſionis dignitatem, ac pretium nulla re magis, quam fideli Confeſſariorum adminiſtratione defendi? Certe pleræque accuſationes, quas in Acatholicorum, atque etiam recentiorum nonnullorum Catholicorum ſcriptis legimus, non tam ſacramentum, quam ejus diſpenſatores petunt; adeo, ut ſubinde in mentem mihi veniat, eas *factis* dilui debere, non *verbis*. Verum, ut dixi, eo mea non excurrit oratio. Catholicæ igitur Eccleſiæ morem, atque doctrinam heic tamquam demonſtratam ſumimus. Id jam videndum, quæ ſint *Confeſſarii* officia, quique Philoſophiæ cum iisdem nexus.

Atque, ſiquid video, ad quinque capita ea reuocari omnino poſſunt. Confeſſarii namque eſt a) *peccata explorare*, b) *judicare*, c) *punire*, d) *peccantem erudire*, ac præcipue e) *emendare*. Plerique Theologorum, qui hac

hac in materia verſati ſunt, ea in officium *judicis*, *doctoris*, & *medici*, redegerunt. Quæ quidem partitio etſi vſu ſuo non careat, ab ea tamen ideo diſcedendum putaui, quod, qui eam tenent, in idem redire, ac eadem repetere cogantur; quum exploratio peccatorum, vt hoc tantum exemplo vtar, æque ad judicem, atque ad medicum pertineat; nec medicus ſit, qui non ſit doctor. Princeps enim animi ægroti medicina eſt inſtructio.

§. III.

Philoſophiæ vſus in explorandis peccatis.

Prima ſacri Judicis cura in eo eſſe debet, ut pœnitentis adfectus, ingenium, temperamentum, ætatem, ſtatum denique totum ſibi perſpectum reddat. Medelam adferre malo non poteſt, qui ejus tantum ſuperficiem intuetur. Ad imas medullas penetrandum: viſcera ipſa rimanda. At vehementer errant, qui moleſta nimis & anxia inquiſitione peccatorum id obtineri poſſe putant. Hi enim dum circa numeros criminum computandos, circa ſpecies conem-

eorumdem determinandas, circa complices eruendos & exactiſſime numerandos mirum in modum laborant, radicem mali ferme negligunt, & dum centies percontati ſunt, quoties quis v. g. dira ſibi imprecatus fuerit, de cauſſa, cur id fecerit, parum ſunt ſolliciti. Jejuna ejusmodi & odioſa examina id plerumque efficiunt, vt Confeſſio pro carnificina habeatur, & equuleum ſibi ſubire videantur, qui ad lauacrum ſalutis juſſi ſunt accedere. Quæ ſit vitii iſtius, quod in junioribus Confeſſariis frequens eſſe ſolet, origo, heic non indago; quamquam in ea reperienda non multum putem eſſe periculi. Quæ enim alia eſt, niſi librorum, ex quibus illi omnia ſua haurire *coguntur*, defectus, & ſtupidiſſimum, licet nimis commune, præjudicium, quo ille egregius cenſetur & princeps, qui numerum peccatorum facilliime init, eorumdem ſpecies quam nitidiſſime adſignat, lineas conſanguineorum & adfinium ab Adamo vſque ad proaui ſui ex ſorore nepotem magna dexteritate deducit? Quæ, inquam, alia eſt, niſi quod *diſcere* tirones, non *cogitare* jubean-

jubeantur, quod *lictorum more torquere*, non paterna ſollicitudine explorare ſuos doceantur? —

Verum redeamus eo, vnde diceſſimus. Eos reprehendimus, qui pœnitentes interrogando excruciant. — Contra alii, idolorum inſtar, muti ſedent, nec minimam quæſtionem inſtituunt. Horum ſocordia & ſtupor quantum detrimenti cauſſet pœnitentibus, dici non *poteſt*. Hi in cauſſa ſunt, cur multi ad tribunal diuinum accedant, quaſi ſurdo fabulam narraturi: cur peccata eadem facilitate, eadem celeritate, eodem adfectu, atque eodem ferme tono, ac Litanias ſuas recitent: cur denique Confeſſio in conſuetudinem, conſuetudo in nauſeam abeat. Quamobrem curandum, ut mediam inter utrumque vitium viam teneas. Curandum, ut nec moleſtia & taedio adficias confitentem, nec ejus miſerias ignores. Atqui neutrum, niſi Philoſophiæ ope, conſequeris. Heic Anthropologia, heic penitior animi humani cognitio facem præferat, oportet. Quamuis enim facile

le largiar, vſum atque exercitium huc magis valere, quam ſtudium; ſunt tamen permulta ad Philoſophiam pertinentia, quæ ſi ignorentur, obſeruationes mancæ ſint, & laborioſiores, neceſſe eſt. Hujus generis ſunt, quæ de hominis natura, de temperamento phyſico & morali, de propenſionibus, adfectibus, de idearum adſociatione, earumque vi in vniuerſum præcipiuntur. Vix enim dubitare licet, quin verum ſit illud Pſychologorum axioma: *Quidquid de homine vniuerſim conſtat, id etiam de vnoquoque ſigillatim conſtare debet, donec contrarium manifeſto fuerit euictum indicio.* Præterea vultus, tonus, totaque confitentis externa diſpoſitio totidem quaſi linguæ ſunt, quibus originem, diuturnitatem, grauitatemque malorum ſuorum explicat. Quid, quod ordo ipſe, quo calamitates ſuas enarrat, magna ſuppeditet adjumenta ad pleniorem earumdem cognitionem? Narratio namque idearum adſociationem, hæc euentuum ſeriem plerumque ſequitur. Vnde illa pro filo vti poteris, quo per Labyrinthum ſcelerum ad caput & fontem

eorum

eorum devenias; ſiquidem vera, nec ſimulata ſit confeſſio. —

Accedit, quod, qui hominis indolem ignorat, raro admodum impedimenta dicendae veritatis ab ore animoque peccatoris amouere valeat. Alium pudor, alium metus, alium flagitiorum ſuorum amor, ne vulnera ſua ſincere prodat, prohibet. Quod vero tunc remedium? Simplex quidem illud, & certum. Nemo ſibi inimicus. Senſum ſui ipſius quisquis in altero attollere, quisquis ingratam ſenſionem auertere, quisquis id, quod ab altero poſtulat, eidem volupe efficere nouit, is votorum ſuorum numquam non potietur. Puella venerem delibauit. — Præ pudore moritur, nec, niſi vaga admodum accuſatione utitur. Sermonem in ſexus imbecillitatem, in mundi pericula, in millenas ſeducendi artes inflecte, fac, obliuiſcatur parumper flagitii, atque infirmitatem tantum ſuam intueatur: en! jam ceſſat pudor, jam originem, jam modum, jam grauitatem mali vltro exponit, jam ſuperflua etiam addit. — Juuenis ſæpius in eadem ſcelera relapſus, ſæpius

fæpius admonitus, nec tamen emendatus tremibundus comparet; pallet, hæſitat voce. Putasne eum, ſi te placidum, benignum, indulgere facilem paucis verbis, nutibusue exhibueris, non omnem metum importunum continuo exuturum? — Virum a concubina, cujus amore conſumitur, abſtrahi difficilem, atque idcirco parum in confeſſione ſincerum, cupis penitius intueri? Fac, ut occaſionis proximæ tyrannidem, amoris vim atque jugum, fac, ut neceſſitatem quamdam peccandi in medium proferas. Reſpirabit concubinarius, ſili de invento ejusmodi Sacerdote, qui miſerias hominum agnoſcat, gratulabitur, atque exſpectabit omnino, ut magnam reatus ſui partem condolendo quaſi deleas. — Hæc pro exemplo ſufficiant. Hi ſunt ii, quos Philoſophia præbet, ſtatum pœnitentis explorandi modi: hi tubi quaſi teleſcopici, quorum ope peccata, confitentium vel dolo, vel ignorantia longius ab oculis tuis remota, conſpicias.

§. IV.

Philoſophiæ vſus in peccatis judicandis.

Crimine enarrato, judicis eſt, ejus magnitudinem æſtimare. Hanc vero æſtimas, dum, quem actio praua habeat moralitatis gradum, juxta Nomologiæ regulas determinas. Nomologiam porro Philoſophiæ practicæ uniuerſalis partem eſſe, quis ignorat? — Totum igitur hoc judicium ad Philoſophiam deuoluitur, niſi forte diuinarum literarum oracula ſceleris *magnitudinem* declarant. Quamquam & tunc Philoſophiæ lumine carere non poſſis; Scriptura enim de ſcelere vniuerſim ſumto, ſeu *in abſtracto* pronuntiat: at Confeſſarius illud ſub ea ratione, quam ad patrantem habet, ideſt, *in individuo* judicat. Scriptura legem ſancit: legis interpretatio, & actionis ad legem adplicatio ad Philoſophiam pertinet. Quam ineptæ vero, quam iniquæ, neceſſe eſt, proferantur ſententiæ, vbi legis ratio ignoratur, vel negligitur, litera nuda premitur, homo ſecundum formulas judicatur! Atqui rationem legis, ejusque interpretandæ regulas vnde, niſi ex Philoſophia, hauries?

Digitized by Google

hauries? Scio, quid hoc loco mihi *Moraliſtæ* noſtri ſint obiecturi; nimirum, quæ ego heic Philoſophiæ tribuo, in tractatibus theologicis de actibus humanis, de legibus, de obligationibus tradi. — Verum hoc ipſum eſt, quod doleo, hoc ipſum, quod corrigi vehementer opto. Non enim ſunt confundendi diſciplinarum diuerſarum limites: quæ ſolius rationis ſunt, Philoſophiæ relinquantur, quæ reuelationis, Theologiæ. Illa generalia juris, officii, legis, imputationis, principia ſtatuat: hæc ea non repetat, ſed ſupponat. Quodſi vero veritates, e ſolo quaſi ſuo tolluntur, & in regionem exteram transferuntur, magna fructuum ſuorum parte mulctantur. Heic ſolitariæ nutant, dum illic mutuis ſe viribus fulciunt. Veritas quidem ſemper eadem eſt, ſiue a Fœdero, ſiue a Beſombio proponatur; at *relatiua* ejus firmitas infringitur, vbi loco non ſuo traditur. Parum, inquiunt, intereſt, vbi veritas dicatur, dummodo dicatur. Immo vel maxime intereſt. Nexus quippe eamdem nouo quodam robore, quo ſibi ſoli relicta, aut

inepte collocata caret, induit. — Annulum vides? Dum ſuo loco catenæ innectitur, vſum habet: dum ex eadem diuellitur, annulus quidem eſt, ſed nullius vtilitatis. — Philoſophica ergo non debent ad Theologiam trahi; quemadmodum nec theologica ad Philoſophiam. Judicandi autem regulas ad Philoſophiam ſpectare, dubium eſt nemini: Confeſſario igitur ad judicanda pœnitentium peccata neceſſaria eſt Philoſophia. — Nolim mihi conflare inuidiam: nec ſegetem malorum enarrare, quæ ex inſtitutionibus caſuiſticis, ſana Philoſophia non innixis, pullulant. — Multi egregii judices & ſibi, & aliis videntur, qui nullo prorſus negotio definire norunt, hoc vel illud peccatum mortale ſit, necne. Quaſi laniones ad macellum ſedent, & crimina in fruſtra ſecant. Aut veluti ſartores emtos panniculos, ſic iſti peccata ad vlnam juxta longitudinem & latitudinem metiuntur, nec reminiſcuntur, ſeſe vermiculos & talpas eſſe, quum fratrem ſuum regno cœlorum excidiſſe magna auctoritate pronuntiant. Vnde vero iſta, niſi quod nec ſe, nec homines

mines nouerint, id eſt, quod non ſint Philoſophi?

§. V.

In peccatis puniendis.

Quum pœnitentiæ ſacramentum, juxta conſtantem Eccleſiæ noſtræ doctrinam veri judicii rationem habeat; Confeſſarii eſt, pro numero ac grauitate delictorum confitenti pœnas quasdam infligere, quæ quidem pœnæ *Satisfactionis ſacramentalis* nomine inſigniuntur. Lites Theologorum de hac ſatisfactione heic nihil moror. Id ſane obſerues velim, Sacerdotem in tribunali ſacro Dei vice fungi, adeoque aliam non poſſe ſancire pœnam, quam quæ ſummis Dei perfectionibus reſpondeat. Eos vero, qui Satisfactionis vocabulum crudo nimis ſenſu accipiunt, in errore verſari, vix eſt, quod moneam. Enimuero non ſeueri judicis inſtar ſpectari debet mitiſſimum Numen, quaſi volupe ipſi eſſet, cruciatus noſtros intueri, noſtrisque lacrymis, jejuniis, aut flagellis paſci. Deus vti bonorum, ſic & miſeriarum noſtra-

rum non indiget. Pater eſt, noſtri amantiſſimus, nec alium ob finem, niſi vt filios emendet, atque emendatos deinceps ſanos conſeruet, ſatisfactionem ab eis exigit. Medicus eſt, qui dolores quandoque noſtros acceptat, vt medelam ferre poſſit. Vt igitur pœna, Dei nomine inflicta, Dei quoque voluntati ſit conſentanea, ad peccatorem emendandum tendat, oportet. En iterum Philoſophiæ neceſſitatem! Explorandum, quid pœnitentis ferre recuſent, quid valeant humeri: pœnitentiæ opera ſtatui, ingenio, ætati, temperamento, occaſioni illecebrisque peccandi ſunt attemperanda. Affectus dominans retundi, inueterata peſtis curari, futura pericula præcaueri debent. Huc non faciunt roſaria, huc flagella, huc caſtigationes immodicæ, aut præter rem injunctæ non pertinent. — Hominem introſpicere, ex ejus præcordiis puniendi modos elicere oportet. Quis vero heic Pſychologiæ, quis Aſceticæ, quis Pædagogicæ campus patet! Et qualem putas fore Caſuiſtam, qui hisce omnibus deſtitutus eſt ſubſidiis!

§. VI.

§. VI.

Ad peccatorem erudiendum.

Duplici ex cauſſa miſeri ſumus, vel quod verum bonum ignoremus, vel quod falſum illi ſtudioſe præferamus, ſiue, vt binis verbis dicam, vel ex *errore*, vel ex *malitia* peccamus. *Errantem* oportet, vt *erudias*: *prauum*, vt *emendes*. Atque hæ præcipuæ ſunt Confeſſarii partes: hic finis procul dubio princeps, ad quem totus confitendi ritus eſt inſtitutus. — Quo autem modo pœnitentis caliginem diſſipabit, ſi ipſe tenebris plusquam cimeriis fuerit inuolutus? Qualis erit magiſter virtutis, qui ſapientiæ præceptis non fuerit imbutus, id eſt, qui non fuerit Philoſophus? Ad erudiendum igitur pœnitentem Philoſophia opus eſt. Quod vt luculentius demonſtrem, docendi munus, quod Confeſſario incumbere nec Caſuiſtæ negant, in ſuas partes reſoluamus. Alii pœnitentum religionis præcepta, fideiue myſteria ignorant: alii dubiis anguntur: alii ſcrupulis premuntur: conſilium petunt alii. Confeſſarii igi-

tur eſt a) ignorantem inſtituere b) dubia ſoluere c) ſcrupulos eximere, d) conſilium ſuggerere. Aſt quis non videt, quanta Philoſophiæ ad ſingula hæc præſtanda ſit neceſſitas? Aliter quippe imberbes, aliter cani pueri — nonnulli enim, veriſſime ait quidam, ſemper pueri ſunt — aliter flexilis & cerei ingenii, aliter duræ ceruicis iuuenes ſunt erudiendi. Huic veritas nuda exhibenda, illi paullatim ſuggerenda: hic argumentis ex ſcriptura, ille ex ratione *vitaque* communi deſumtis conuincitur. Sciolum aliter, aliter ruſticum, & aliter credulam anum docere neceſſe eſt. Nonnulli ratione ducuntur; plerique craſſioribus, & ad palpandum aptioribus exemplis. Horum omnium magiſtra eſt Pædagogica, præſtantiſſima Philoſophiæ practicæ pars, quæ licet praxi & vſu magnopere perficiatur, ſine theoria tamen manca ſemper & infirma erit.

Heic quoque Phyſices ſtudium commendari meretur. — Plurima ſuperſtitionum tum theoreticarum, tum practicarum genera noſtris adhuc dum vigere temporibus, quantumuis optimi

timi Principes & Episcopi in illis extirpandis desudent, sciunt ii, qui popellum diligentius lustrant. Atque vt de mea experientia loquar, quo nationem quamque cultiorem, eo inueni a superstitionibus remotiorem. Atque spectrorum, & energumenorum numerus ibi maximus, vbi tenebræ spississimæ. — Adeo verum est, quod Zimmermannus alicubi dicit: „quo minus perspicitur mundus hic corporeus, eo latius mundus Spirituum extenditur.“ Imperitæ mulierculæ morbos filiarum, pecorumque, tempestatum furorem, agrique sterilitatem sagis, aut diabolo tribuunt: medicinam a rebus ad id minime destinatis, a verbis nonnullis mysticis, nugisue sacris petunt. Has tu erudire, has saniora edocere paras, Physices penitus expers? Immo caue, ne muliercula te in superstitionem potius suam consentire cogat, quam vt ab eadem abstrahatur! — Ast si morborum causas perspectas habueris, si tempestatis phænomena explicare, si, quæ sint adhibenda malo remedia, demonstrare sciueris, jam vicisti, jam excussisti stolidam opinionem. Hactenus de igno-

rantia diſpellenda. Videamus, quid ad dubia enodanda ſit adjumenti in Philoſophia. Saniorem Logicam huc inprimis facere, per ſe manifeſtum eſt. Ea enim ſtatum quæſtionis, rationemque dubitandi definit, principia indagat, filum argumentorum ſuſtinet, ac eo deducit nutantem, vbi tandem firmo conſiſtere talo poſſit. — Scrupulos plerumque corporis potius, quam animi morbos eſſe, medicorum peritiſſimorum eſt ſententia. His itaque qui *laborant*, non Scripturæ, Patrumue effatis ſunt corrigendi, ſed herbis & liquoribus. Atqui non ad Theologiam, ſed ad Philoſophiam, cujus ars medica membrum eſt, herbæ & liquores pertinent. Quæ non eo dicta ſunt, acſi Confeſſarium pharmacopœum, aut medicum eſſe vellem; (quamquam ea artis medicæ parte, quæ *Paſtoralis* dicitur, ægre careat) ſed vt oſtenderem, inſtitutiones theologicas, niſi Philoſophia illis facem præferat, ad eruendos anxiorum ſcrupulos non eſſe idoneas. Reſtat, vt de conſilio ſuggerendo dicam. Atque multiplex quidem illud, & ſæpe a nobis exquiri ſolet. Adolescentes de

ſtatu

ſtatu vitæ aligendo, virgines de matrimonio ineundo nobiscum deliberant. Tori conjugalis miſeriæ nobis panduntur. — Oeconomiæ vulneribus vt remedia ſuggeramus, jubemur. — De cauſſa coram judice dicenda in conſilium vocamur. — Prolium educatio criſi noſtræ ſubjicitur. — Teſtamenti faciendi cauſſa conſulimur, paucis: in rebus ferme omnibus maxima eſt Confeſſariorum auctoritas. — Atque heic vel inſipientiam fateri, vel optimum conſulere neceſſe eſt. Si rebus, quarum rationem parum intelligis, te ingeſſeris; ſi perperam ſuaſeris; juuenem perdidiſti, puellam ſpoliaſti, conjuges diuulſiſti, rem domeſticam deſtruxiſti, innocentem oppreſſiſti, ſobolem corrupiſti, hæredem læſiſti, cumulum malorum in caput tuum accerſiuiſti! Deo, hominibusque te exoſum reddidiſti! Dira tibi futura progenies imprecabitur! — Nolim hæc exemplis illuſtrare, quorum plena eſt hiſtoria. —

At, inquis, quorſum iſta diſputas? Nemone prudens erit in conſiliis præbendis, quin Philoſophorum placitis fuerit imbutus? — Non

idi

id quidem heic adfero. Scio, doctrinam a ſapientia eſſe diuerſam, ſcio, in rebus gerendis plus tribui experientiæ, & prudentiæ, quam præceptis. Verum ſi ego hoc largiar, a te viciſſim exſpecto, vt mecum eo conuenias, obſeruationes, & experientias fore & ampliores, & exactiores, ſi theoreticis innixæ fuerint regulis. Id exſpecto, ut mihi concedas, præcipua Pædagogices, Oeconomicesque capita a Confeſſario ignorari non debere, *hominum*que cognitionem, quæ in dandis conſiliis dux eſſe ſolet, a Philoſophia perfici. Hæc ſatis, opinor, commonſtrant, in erudiendis pœnitentibus Philoſophiæ partes eſſe præcipuas. — Quodſi vero cæcus cæcum duxerit, nonne ambo in foueam ruent?

§. VII.

Ad peccatorem emendandum.

Vt laboranti intellectui, ſic ægræ voluntati Philoſophia ſubuenit. Hæc enim tota in eo eſt, vt morbi radicem detegat, atque euellat. Cauſſæ vero peccandi vel intrinſecæ ſunt, vel extrinſecæ.

trinſecæ. Ad has refero incitamenta, occaſionem, ſcandalum, metum, amicitiam. Intrinſecas dico conſuetudinem, temperamentum, adfectum dominantem; de ignorantia namque ſuperiori paragrapho dictum fuit. — Quis vero non intelligit, ad omnia iſta Philoſophiæ lumina mirifice conducere? Quid? quod audacter contendam, religioſa, quæ pœnitentibus illigari ſolent, medicamina minus plerumque efficere, quam naturalia? Atque id ratio ſuadet, & experientia confirmat. Homo nonniſi voluptate trahitur: quidquid adpetit, ſub ratione boni adpetit: quidquid auerſatur, ſub ratione mali auerſatur. Peccatorem igitur neè flagitia dedocebis, niſi ea tamquam mala ipſi demonſtraueris, nec ad virtutem amplectendam induces, niſi, quam bona res ſit virtus, ipſi oſtenderis. —

„Quid? ais, nonne id ſatis mali eſt, quod peccatum æternis ſit luendum ignibus? Nonne ſatis bona virtus, quæ perennem, omnique cogitatione humana ſuperiorem meretur felicitatem?“ — Bona dicis, ſed minus opportuna.

tuna. Nimis ab oculis hominum, præſertim eorum, qui craſſioribus imputruerunt vitiis, remoti ſunt illi ignes, nimis remota gaudia. Pecudum more, præſentibus ducuntur. In hoc ergo ſudandum, vt, quam miſeri jam nunc ſint, ſi leges Dei violent, quam beati jam nunc forent, ſi iisdem paruiſſent, ipſos doceas. Medicina ex ipſo malo paranda: quam parum felicitati ſuæ, non illi æternæ, quam ne mente quidem concipere valent, ſed huic *terrenæ*, quam tantopere inquirunt, conſulant; erudiantur, neceſſe eſt. Fac, vt pœnitens illecebras pro laqueis, occaſionem pro voragine opum ſuarum, pro peſte valetudinis ſuæ habeat. Fac, vt eorum, quorum exemplis ſeductus fuit, indignitatem, fac, ut mali, quod expauerat, vanitatem, amici, cujus gratia virtutem deſeruerat, perfidiam agnoscat. Hæc, crede mihi, plus momenti ſunt habitura, quam futurarum pœnarum terrores: non, quod ſint majora, ſed quod *præſentia*. A praua conſuetudine quemquam diuellere niteris? Adfectum dominantem impugnare paras? Hominis amicitiam, fiduei-

fiduciamque aucupare: quasi aliud quid acturus, eum laboribus distine, inueteratæ consuetudini aliam substitue, adfectum dominantem ingratis ideis, sine quarum consociatione exsurgere non possit, debilita, voluptatem nouam, quam ille auidius arripiat, excogita, adfectum alium, quasi fortuito, excita! Cujus vero opera hæc sunt? Nonne Thelematologi practici? —

De temperamenti vitiis quid dicam? Semina malorum moralium in physica corporum nostrorum constitutione sæpissime cubare, accuratiores Medicorum obseruationes citra dubitationis aleam posuerunt. Næ igitur oleum operamque perdiderit, qui hominem, cui bilis feruida & acris inest, solis Evangelii oraculis mansuescere jubeat! Næ frustra Paulum in medium adduxerit, frustra sanctorum exempla proprosuerit, qui juuenem tentigine laborantem ad continentiam adhortetur! Heic medico opus est, & pharmacopola: heic victus ratio moderanda: heic piper, & vinum, & aromata æstuoso adolescenti subtrahenda: heic somnus

ſomnus breuis, & durum cervical, non ſola oratio, in ſubſidium vocanda. Quamobrem ridiculi ſæpe ſunt, quorum tota exhortatio ad cultum beatæ Virginis, ad implorationem Angeli tutoris, ad memoriam Dei præſentis, judiciique futuri pertinet. Hæc enim remedia licet optima ſint, & ſalubria; ſola tamen effectu omni carent, quum *animo*, non *neruis* adhibeantur. Mentem emendant, ſed humores non corrigunt. — Parce flagellis: ſed *Indorum* potum ebullienti adolescenti cura vt ſubtrahas. — Onani ſcelus, exitiale generi humano, in pœnitente delere cupis? Quid tu illi Thomam Kempenſem, quid ſpeculum exemplorum ſuades? Tiſſotum legat. Tace interim cœleſtia, & infera: raucedinem vocis, maciem & pallorem faciei, animæ fœtorem, neruorum infirmitatem, frequens deliquium, mortem, aut morte ipſa acerbiorem vitam commemora. *Plus* mehercle hisce proficies, quam argumentis quibuscumque religioſis. — Vide igitur, quanta ſit Philoſophiæ in emendandis hominibus vis: vide, quam late pateat ejus vſus. Vnde enim iſta

ista remedia, quæ mox exempli causſa expoſui, niſi ex Philoſophiæ penu deſumuntur.

Ceterum injuriam mihi faceret, qui, quæ heic a me diſputata ſunt, in religionis inuidiam verteret. Non enim id ago, vt veritates ſacratiſſimi Evangelii a tribunali pœnitentium arceam, ſed vt iis viam pandam. Vbi, quæ oculis fuere ſubjecta fidelibus, animum commouerint, ac initia quædam melioris vitæ fundauerint; tum vero, quæ per aures demittuntur, Dei oracula vim propriam exſerent.

§. VIII.

De Philoſophiæ vſu apud ægrotos & moribundos.

Quamquam de Philoſophiæ vſu in adminiſtrando Pœnitentiæ ſacramento, diſſerere inſtituerim, mihi tamen temperare nequeo, quin parumper a tramite deflectam, atque ingentia, quæ ad curam ægrotorum moribundorumque Philoſophia ſuppeditat, commoda prædicem. Nam licet ſpiritualis tantum ſubſidii

cauſſa vocetur ſacerdos, plurimum tamen ad ſanitatem etiam corporis reſtituendam conferre proterit, ſi fuerit Philoſophus. Morborum cauſſæ non raro ſunt in animo; hisce mederi non tam medicus, quam Confeſſarius debet, præſertim, vbi amicorum prudentium ope ac conſilio ægrotus fuerit deſtitutus. Quæ Sacerdos profert, neſcio quam ſingularem vim atque ſanitatem habere putantur, quibus non adquiescere nefas putat credulum *hominum* genus. —

Præterea raro medici juſſis paretur, niſi Sacerdotis auctoritate fuerint ſacrata. Quid, quod ſæpiſſime, in locis præſertim ruſticis & ſolitariis, nec medici, nec chirurgi copia ſit? Quanta tunc mala præcauere, quot miſeriis medelam ferre poteſt Sacerdos Philoſophus? Non id poſtulo, vt pharmacopœus ſit (quamquam quid obſtat, quominus vulgaria & communiſſima medicamenta, juxta Tiſſoti præcepta, comparet?) ſed vt aëris, victus, veſtitus, domicilii rationes perſpectas habeat. Maxima mortalium pars Diætetices neglectu perit. Hanc ſi teneat Confeſ-

Confeſſarius, verbis paucis familiæ ejulanti patrem, grauidæ vxori maritum, lactenti puero caram matrem ſervare poterit! Hominem autem vnicum morti eripuiſſe, quanta voluptas? Quid hujus beneficii conſcientia jucundius, quid Sacerdote dignius? — Quid populi amorem, fiduciamque, ſine qua parum felices erunt conatus noſtri, magis conciliat, quam paterna Paſtorum ſollicitudo, gregis ſui ſalutem vitamque tuendi? —

Parum adhucdum perfecta eſt in Germania noſtra politica, vt vocant, medica. Hujus defectibus vitiisue Sacerdotum philoſophia ſæpe occurrere poteſt. Hæc non permittet, vt cadauer terræ mandetur, antequam certa putredinis adpareant indicia: hæc morborum contagia prævertet: hæc obſtetricum diligentiæ inuigilabit: hæc connubia decrepitorum æque ac puerorum pro virili impediet: hæc aërem, fontes, riuosque purgari jubebit: hæc plebem innumeris modis juuabit. Plura adjicere nolo. Qui æquo erga veritatem adfectus eſt animo, eum horum argumentorum pondere ſatis ſu-

 perque

perque de maximo Philoſophiæ tum in ſacro tribunali, tum extra illud vſu conuictum fore ſpero: qui autem idolis ſuis (quo nomine Baconus præjudicia non inepte adpellat,) renuntiare noluerit, eum αυταρκεσια ſua ſpoliare cur adlaborem?

§. IX.

Concluſio.

Quin potius ad vos me iterum conuerto, juuenes confratres, vos moneo, obſecro, obteſtor, vt ſanæ Philoſophiæ ſtudio tempus viresque impendatis! Philoſophiam vero ſanam dico, non quæ vanis & abſtractis nugis implicatur, ſed quæ hominis, humanarumque actionum naturam, fines, regulas ſcrutatur; quæ ad procurandam augendamque generis humani felicitatem omne ſtudium, operamque dirigit; quæ futuros cujusuis veritatis vſus reſpicit; quæ denique nominis ſui menſuram implet, eſtque ſtudium *Sapientiæ* potius, quam *Scientiæ*. Videte, ad quod munus vocemini, penſate, quanta vobis conferenda ſit poteſtas, quanta bonorum

rum ſeges! Væ vobis niſi congruis inſtructi armis ad tanta negotia acceſſeritis! Diu igitur noctuque in eo eſtote, vt Philoſophi veri euadatis. Erratis, fratres mei, ſi vnius alteriusue anni curriculo totum Philoſophiæ ſtudium abſolui putatis. Numquam heic ſatis eſt: quo plus viæ confeceris, eo plus reſtat. Philoſopho vbique, & ſemper ſchola ſua aperta eſt. Verumtamen philoſophandi fundamenta nunc ponantur neceſſe eſt, maxime ſi eos nacti fueritis magiſtros, qui ad futuros vſus veſtros omnem ſuam inſtitutionem componunt. Quamobrem miſeret me eorum, qui ad hoc damnantur, vt Caſuiſtica (quam imperiti homines cum Theologia morali confundunt) ſola imbuti ambonem eccleſiaſticum conſcendere, aut judiciariam ſedem occupare cogantur. Profecto magna eorum culpa, quorum juſſu id committitur.

Ceterum vix eſt, quod admoneam, me, dum Philoſophiæ ſtudium vobis commendo, reliqua boni Confeſſarii adjumenta, orationem præcipue & ſacræ ſcripturæ lectionem non excludere

eludere. Immo ſine hisce ſubſidiis cæca & infirma erit Philoſophia omnis.

Denique id a vobis peto, vt veritatem ſequamini, non auctoritatem, rationibus pareatis, non conuitiis. Multi Philoſophiam ad diſputandum & vitilitigandum tantummodo pertinere, nec Theologo, aut Confeſſario quidquam adferre emolumenti, graui voce pronuntiant. Iis, quæſo, ne irascamini; de ſua enim Philoſophia loquuntur. —

Finis.

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MÜNCHEN

Digitized by Google

Digitized by Google